



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvací, 1625**

De forti certamine contra vitia. XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

## CAPVT XIV.

*De forti certamine contra vitia, per exempla sanctorum,*

Psal. 30.

I. **V**iriliter agite, & confortetur cor vestrum. Sicut per passionem & crucem Iesu & sanctorum Martyrum poenas, discimus aduersa tolerare: sic etiam per beatam virginem MARIAM, & per omnes sanctas Virgines, Vuidas & Continentes, discimus carnalia vitia vincere, diuitias contemnere, honores fugere; & per contemptum omnium mundanorum cælestia quærere & amare. O serue Dei, stude virorum fortium patientiam insuperabilem, qui, diabolo & consilio eius resistere, & per debilium puellarum constantiam virginalem, omnia delectabilia carnis cum cæteris vitijs, longè à te projcere & spernere. Si bona temporalia Dedi dederit pro sua clementia paupertati tuæ, noli inde miser extoli, noli stulte cor apponere; quia nescis, quamdiu hic eris, & isti fruēris. Noli longam optare vitam, sed bonam; quia melior est bona conscientia, quam omnes thesauri mundi. Quanto enim plus habueris de rebus terrenis, tanto distictius inde iudicaberis.

2. Heu fallax gratia, & breuis gloria mundi, in diuitijs honoribus, prælaturis, & delicijs huius vita gaudere; post quæ sequuntur maximi dolores & fletus, cum diabolo semper ardere, ubi ouia est redemptio à poenis eorū. Sed, o quam magna iucunditas ectorum, cum angelis semper lœtari, ubi summa felicitas omnium bonorum, cum Deo & sanctis eius, sine fine durabit. O quam felices viri & prudentes Virgines, qui omnia propter Christum reliquerunt, & per arctam viam ad æternam patriam peruenient studuerunt.

3. Scitote ergo omnes fideles & deuoti serui Iesu Christi, quis oportet vos contra varias tentationes carnales & spirituales pugnare, vigilare, orare, iejunare, & laborare, quamdiu vivitis. Oportet carnem castigare, ne intumescat, & concupiscat contra spiritum; & ne decipiatur & præualeat contra animam, trahendo ipsam in gehennam. Quid prodest hic carnem delicate nutrit, & postea in inferno grauissimè torqueri? Et quid iuuat hic laudari & honorari ab hominibus, & in futuro confundi & condemnari cum impijs & dæmonibus? In mundo doctor & magnus reputari, & in numero electorum non computari, maxima confusio & deriso est coram Deo & omnibus Sanctis eius. Pro Christo autem pati & vilipendi à malevolis, maximus honor, laus, & gloria apud Deum & omnes Sanctos. Hinc ipse ait discipulis suis, & consolatur ubique omnes fideles, pro nomine eius iniuriam & pressuram

pressuram patientes: Beatieritis, cum vos oderint homines, & expro- Matt. 5.  
brauerint propter nomen meum. Gaudete & exultate, ecce enim merces  
vestra multa est in celis.

## CAPVT XV.

*De instabilitate in loco & in ordine.*

1. **S**tabiles esse in omni opere Domini semper. Dic bone frater, 1. Cor. 15.  
quid utilitatis & sanctitatis tibi confert hic illuc discurrere,  
& multa ubique videre & audire, & ad regnum cælorum non  
posse peruenire? Beatus, qui ab omni euagatione cor suum & cor-  
pus custodit, & citò ad seipsum cum gemitu redit & veniam pe-  
tit. Vnde tibi, qui sèpe foris euagaris & tempus infructuosè expen-  
dis & alios scandalizas, Pax multa libenter in cella manenti, Deo  
in secreto vacanti, sèpe oranti, sacros libros scribenti, scripturas  
studiosè legenti, ac sanctis meditationibus affectuose insi-  
stenti.

2. Otiosus & fabulosus, multa correptione dignus, & à com-  
muni colloquio separandus, ne forte simplices & pusillos inficiat,  
& vanis verbis ac moribus peruersis scandalizet ac perturbet.  
Time, ô dissolute & iocose, futura ignis purgatorij tormenta; v-  
bi pro quolibet leui & otioso verbo & cogitatu maligno, patieris  
à dæmonibus durissima verbera. Multo melius est ergo modò ti-  
mere & cauere, pœnitere & flere; quam in futuro cum impijs sine  
fine torqueri, & à dæmonibus fustigari. Certe non est risus &  
iocus in inferno semper ardere, vnde nullo auxilio poteris li-  
berari.

3. Si quis ista frequenter pensaret & strictè ponderaret, omnia  
mundana citò contemneret, & omnia delectamenta carnis ex-  
horreret, vt æternas pœnas euaderet, & ad cælestia gaudia post  
mortem perueniret. Sed vnde eis modò, & amplius in futuro, qui  
diuina iudicia modicum attendunt, & ferè omnia pro leuibus  
ducunt, quia pœnas illas in corpore non sunt experti.

## CAPVT XVI.

*De divino solatio, in tribulatione pro Christo.*

1. **I**N mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum. Ioan. 16.

Dicitur in proverbijs à multis: Solatum est miseris, sociū ha-  
bere in pœnis. Quis est iste socius tam bonus & pius, qui scit  
compati miseris & infirmis? Iste est Dominus noster Iesus Chri-  
stus, pro nobis passus & crucifixus; qui in euangelio dicit se me-  
dicum & pastorem esse animarum, & consolatorem tribula-  
torum

M m 2

torum